

• Primo paganus catechumenus sit; accedens ad baptismum maligno renuntiat [Ms., renuntiet] spiritui et omnibus damnosis ejus et [Al. et omitt.] pompis. Exsufflatur etiam ut, fugato diabolo, Christo Domino [Al.; Deo] paretur introitus. Exorcizatur, id est, conjuratur malignus spiritus, ut exeat et recedat, dans locum Deo vero. Accipit catechumenorum [Ms. Fris., catechumenus] salem, ut putrida et fluxa ejus peccata sapientiae sale, divino munere, mundentur. Deinde symboli apostolici traditur ei fides, ut vacua domus, et a prisco habitatore derelicta, fide ornetur, et ut preparetur habitatio Deo [Ms. Reg., Dei]. Tunc fiunt scrutinia, ut exploretur servus, an [Ms., exploretur saepius quam firmiter] post renuntiationem Satanæ sacra verba datæ fidei radicitus corde desixerit. Tanguntur et nares, ut quandiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eidem [Ms. Fris., eodem] perungitur oleo, ut signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur et scapulae, ut undique muniatur. Item in pectoris et scapulæ unctione signatur fidei firmitas, et operum bonorum perseverantia. Et sic in nomine sanctæ Trinitatis tria sub-

• Vide inter supposita librum de divinis Officiis, cap. 19; et epist. 90.

## 128 · OPUSCULUM QUINTUM. DE VIRTUTIBUS ET VITIIS LIBER AD WIDONEM COMITEM.

### EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Dilectissimo filio Widoni [Al., Huitoni] comiti, humilis levita Alcuinus salutem.

Memor sum petitionis tuæ et promissionis meæ, qua me obnixe flagitasti, aliqua tuæ occupationi, quam te in bellicis rebus habere novimus, exhortamenta [Al., aliquod... exhortamentum] brevi sermone conscribere, ut habeas [Al., haberet] jugiter inter manus manuales [Al., in manibus] paternæ admonitionis sententias, in quibus te ipsum considerare debuisses [Al., potuisses], atque ad æternæ beatitudinis excitare studium: cui tam honestæ petitioni libenter me annuere fateor, optans mee devotionis apices tibi ad perpetuam proficere salutem. Quos etiam, quamvis minus eloquenter videas esse compositos [Al., videantur esse compositi], tamen certissime scito sanctæ charitatis vigore eosdem esse dictatos. Singulis siquidem hujus sermonis seriem distinxii capitulis, quatenus facilius vestre [Al. tuæ] devotionis memoriaræ hæc mea dicta inhærente potuissent; sciens te in multis sacerdotalium rerum cogitationibus occupatum. Unde precor sanctum salutis vestræ [Al., sanctæ salutis tuæ] desiderium, ad harum saepius, quasi ad quoddam re-

• Videantur, quæ de hoc opusculo prænotavimus in Monito prævio. Ea quæ hic uncinis conclusa

A mersione baptizatur. Et recte homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem sanctæ Trinitatis ad eamdem renovatur imaginem. Et quia tertio [Al., qui tercio] gradu peccati, id est consensu, cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat [Ms. Reg., resurget] ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis, ac castitatem vitæ, et angelici splendoris decorum. Tunc sacro chrismate caput unctionitur [Ms., perungitur], et mystico tegitur velamine; ut intelligat se diadema regni et sacerdotii dignitatem portaturum [Ms., portare], juxta Apostolum: *Vos estis genus regale et sacerdotale, offerentes vosmet Domino [Ms., Deo vivo] hostiam sanctam et Deo placentem* (I Petri ii, 9; Rom. xii, 1). Sic corpore et B sanguine Dominicano confirmatur, ut illius sit capitum membrum qui pro eo [Al., pro nobis] passus est et resurrexit. Novissime per impositionem manuum a summo Sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, qui sunt in baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ [Al., vita... æterna].

C currere solarium, litterarum lectionem; ut animus exterioribus fatigatus molestiis, ad seipsum reversus habeat, in quo gaudeat; et quo maxime festinare debeat, intelligat. Sicut meas [Al., sicut ego a meis] diligenter flagitasti pia exhortationis litterulas, ita te humiliiter deposco, ut easdem saepius relegere digneris. Ob hoc tuam, dilectissime fili, dilectionem obnixe deprecor, ut plurima tibi ipse [Al., ut optimæ tibi ipsi] eleemosynarum largitione, et judicum aëjudiciorum aequitate, et misericordiae sedulitate, coelestis gloriæ habitationem indefessa voluntate præparare studeas. In quo opere et desiderio te divina clementia semper ubique adjuvare dignetur [dilectissime fili].

### 129 CAPUT PRIMUM <sup>b</sup>.

#### *De sapientia.*

Primum [Al., Primo] omnium querendum homini est quæ sit vera scientia veraque sapientia: quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. iii, 19). Scientia vera est a diaboli servitio, quod sunt peccata, recedere; et sapientia perfecta est Deum colere secundum mandatorum illius veritatem: quia in his duobus [Al., add., mandatis] exhibentur, ex variis codi. mss. depropromissimis.

<sup>b</sup> Hoc caput pars est sermonis 303 S. Augustini.

vita beata acquiritur, sicut Psalmista ait : *Diverte a malo et fac bonum* (*Psal. xxxiii, 15*). Non enim sufficit cuiquam mala non facere, nisi etiam et bona faciat : nec bona facere, nisi etiam et mala non committat [*Al.* et mala amittat]. Omnis ergo qui sic sapiens est, procul dubio beatus erit in æternum ; beata siquidem [vita] est cognitio divinitatis; cognitio [vero] divinitatis virtus boni operis est : virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis.

## CAPUT II.

### *De fide.*

Sed hæc cognitio divinitatis et scientia veritatis per fidem catholicam discenda est; *quia sine fide impossibile est placere Deo* (*Hébr. xi, 6*). Vere beatus est, qui et recte credendo bene vivit, et bene vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus [bonis], ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Unde et beatus Jacobus apostolus dixit : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non faciat* [*Codd. mss. habeat?*] *Nunquid poterit fides salvare eum? Fides sine operibus mortua est* [*Codd. mss., otiosa est*]. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (*Jac. ii, 14 seqq.*) : de cuius excellentia est alterius temporis disputare; quia breviarium, quod de mandatis Dei tibi petisti districto sermone fieri <sup>a</sup>, profundissimas de fide catholica rationes [*Edit.*, orationes, mendose] explicare non poterit.

## CAPUT III.

### *De charitate.*

In præceptis vero Dei charitas obtinet principatum, sine cuius perfectione nihil Deo placere posse Paulus testatur apostolus (*I Cor. xiii*), qui nec martyrium nec sæculi contemptum, nec eleemosynarum largitionem, sine charitatis officio quidquam proficerere posse [*Al.*, prodesse] ostendit. Inde et ipse Dominus a quodam scriba interrogatus quod esset mandatum maximum, respondit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*. Addidit quoque : *Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum; in his duobus mandatis tota Lex pendet et prophetæ* (*Matth. xxii, 36 seq.*). Quod vero ait : *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, id est, toto intellectu, tota voluntate, et ex omni memoria Deum esse diligendum*. Dei vero dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit, sicut alibi ait : *Si quis diligit me, sermones meos servat* (*Joan. xiv, 23*). Unde ipsa Veritas alibi ait : *In hoc cognoscunt omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Ibid., xiii, 35*). Item Apostolus : *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom. xiii, 10*). Item Joannes evangelista : *Hoc mandatum habemus a Do-*

*mino [Al., Deo], ut qui diligit Dominum [Al., Deum], diligat et proximum* (*I Joan. iv, 21*). Si forte quislibet querat quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in baptismo filii Dei sanctificamur, ut fratres simus spiritualiter in charitate perfecta. Nobilior est generatio spiritualis quam carnalis, de qua in Evangelio ipsa Veritas ait : *Nisi quis renatus [Al., natus] fuerit ex aqua et Spiritu [sancto], non potest introire in regnum Dei* (*Joan. iii, 5*). Discat homo quæ sunt præcepta Dei, et ea custodiat quantum valeat : et sic se cognoscet charitatem Dei habere. Quorum aliquatuæ ostendere, dilectissime fili, devotioni nominatim curabo, ut paucis intellectis [*Al.*, perspectis] facilius aliorum virtutes intelligere valeas <sup>b</sup>.

## 130 CAPUT IV.

### *De spe.*

Tria quidem [*Al.*, quejam] proposuit animæ nostræ necessaria egregius gentium doctor, dicens : *Spes, fides, charitas, tria hæc : major autem his est charitas* (*I Cor. xiii, 13*). Nemo igitur, quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis desperare debet : sed spe certæ [*Ms.*, certa] misericordia illius indulgentiam sibi quotidiani deprecari lacrymis; quam recte sperare possunt, si ab actione pravi operis cessabunt. Ideo nec propter spem veniæ perseveranter peccare debemus, neque quia Deus juste peccata punit, veniam desperare debemus : sed utroque periculo evitato, et a malo declinemus, et de pietate Dei veniam speremus. Similiter et in omni tribulationum angustia, spe ad solatium supernæ pietatis currendum est, quia in illo solo omnis spes et salus sine dubio consistit, dicente Propheta : *In Deo salutare meum et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est* (*Psal. lxi, 8*).

## CAPUT V.

### *c De lectionis studio.*

Sanctorum lectio Scripturarum divinæ est cognitio beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, vel quo tendat. Lectio assidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare [frequenter] et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctorum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis [studium], et multum ad emundationem animæ proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur, sicut Psalmista ait : *Quam dulcia fauci-*

*mitur : Quorum aliqua dignum est breviter demonstrare, ut facilius virtutes aliae possint intelligi.*

<sup>c</sup> Hoc cap. 5 pars est sermonis 302 S. Aug.

<sup>a</sup> Ms. S. Jacobi Scotorum : *Quia breviarium, quod de mandatis Dei scribere decrevimus, profundissimas, etc.*

<sup>b</sup> In col. ms. S. Jacobi ultima sententia sic expri-

*cibus maius eloqua tua, Domine! super mel et favum ori meo* (Psal. cxviii, 103). Sed ille beatissimus est, qui divinas Scripturas legens, verba vertit in opera. Omnis plane Scriptura sancta ad nostram scripta est salutem, ut proficiamus in eis in veritatis cognitione. Sæpius cæcus offendit quam videns: sic ignorantia legem Dei sæpius ignoranter peccat, quam ille qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore viam rectam vix graditur.

## CAPUT VI.

*De pace.*

Salvator ad Patrem rediens, quasi speciale munus discipulis pacis dedit præcepta, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (Joan. xiv, 27). In pace vos dimitto, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare, quæ desiderabat rediens in omnibus invenire. Cujus pacis ornamenta mirabiliter alio ostendit loco, dicens: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. v, 9). En Filius Dei incipit vocari, qui pacificus esse jam cœpit. Non vult Filius Dei dici, qui pacem noluerit amplecti. Negat sibi Patrem Deum, qui pacificus esse contemnit. Sed hæc pax cum bonis et Dei præcepta servantibus custodienda est, non cum iniquis et sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem proficit sempiternam. Pax quæ in diabolo est, ad perpetuam pervenit [Al., dicit] perditionem. Pax cum bonis, et bellum cum vitiis, semper habenda est. Mala siquidem hominum impiorum odio habenda sunt, non homines ipsi, quamvis mali sunt, quia creatura Dei sunt. Pax vero, quæ in nobis [Al., in bonis] est, concordiam fratrum, et charitatem copulat proximorum. Pax spiritum Dei specialiter promeretur. Pax dilectionis mater est. Pax indicium est sanctitatis, de qua Deus per prophetam ait: *Pacem et veritatem diligite* (Zach. viii, 19). Pax plebis est sanitas, gloria sacerdotis, et patrie letitia, et terror hostium sive visibilium, sive inyisibilium. **131** Omnibus viribus pax est custodienda, quia semper in Deo manet. Qui in pace sancta manet, cum sanctis Dei manet. Sacerdotis est in pace populum Dei admonere quid debeat agere: populi est in humilitate audire quæ monet sacerdos. Quidquid non licet, pastoris est prohibere ne fiat: plebis est audiire, ne faciat.

## CAPUT VII.

*De misericordia.*

Præcipuum est misericordie bonum, de qua ipse Salvator ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7). Non potest peccator a Deo misericordiam sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere aeternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sorribus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus, ut in die retributionis ad promerentur.

Hoc cap. 7 pars est sermonis 304 S. Aug.

## PATROL. CI.

A dam Dei misericordiam misericordiae operibus aju-  
vemur. Quomodo a Deo misericordiam exspectat [Ms., sperat], qui crudelis est in conservos suos? Sicut quis cupid Deum sibi misereri, ita et misereatur debitoribus suis. Certissime indulgentiam exspectare [Ms., sperare] poterit, qui aliis indulgere novit. Ad misericordiae opus optimo nos in Evangelio Dominus exemplo roboravit, ubi ait: *Estote misericordes, sicut et Pater vester cælestis misericors est. Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Luc. vi, 36). Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Qui facit misericordiam, Deo offert sacrificium salutis [Ms., satis] placabile. In judice misericordia et disciplina debet esse: quia una sine altera bene esse non possit [Ms., poterit]. Nam misericordia sola si fuerit, securitatem facit peccandi subjectis. Iterum, si disciplina sola semper aderit, vertitur animus delinquentis in desperationem, et judex non merebitur a Deo misericordiam: sed hanc misericordiam a seipso debet homo incipere. Quomodo in aliis est misericors, qui in seipso crudelis est? In seipso crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis suis parat flamas. Bene misericors est, qui a seipso incipit, et se diligenter custodit, ne puniatur cum diabolo, et sic aliis præstet, quod sibi bonum esse perspicit.

## CAPUT VIII

*De indulgentia.*

Dominus in Evangelio ait: *Dimitte, et dimittetur vobis. Item: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra* (Matth. vi, 14, 15). Hæc vero Domini sententia magnam super nos misericordiam [Ms., clementiam] sonat his, qui eam recte intelligere possunt. Igitur ex nostro judicio judicat nos Deus, et quodammodo in potestate nostra est, quomodo judicemur a judice Deo. Si misericorditer judicamus de in nos delinquentibus, misericorditer judicabit Deus de nobis in se peccantibus. Intendamus exemplum illius, sicut Doctor gentium ait: *Donate in vobis metipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut Deus donat* [Ms., donavit] *vobis in Christo, ita et vos facite* (Coloss. iii, 15). Quomodo Deus in Christo nobis nostra peccata donavit: sic etiam nos qui in nos peccant, dimittamus. Item: *Nulli malum pro malo reddentes*. Et alio loco: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (Rom. xii, 17, 21). Sciendum est certissime quod unusquisque talium indulgentiam accepturus est a Deo, qualem et ipse dederit proximo suo. Illa oratio pro peccatis nostris ad aures omnipotentis Dei cito perveniet, si delinquentium [in nos] preces in nostris auribus acceptabiles sunt. Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam divinæ pietatis certissime accipiet.

b) Hoc cap. 8 altera pars est sermonis 304 S. Aug.

Sic enim remittetur nobis, ut nos remiserimus eis qui nobis quacunque malignitate nocuerunt.

### 132 CAPUT IX.

*De patientia.*

*In patientia vestra, dicitur in Evangelio, possidebitis animas vestras (Luc. xxi, 19). In omni enim vita humana patientia necessaria est. Sicut itaque patienter sufferre debemus injurias ab aliis in nos delatas, ita et patienter tribulationes quae nobis eventient, sufferre necesse est. Sæpissime in hoc sæculo boni a reprobis tribulationes patiuntur. Ideo si quislibet post bona opera tribulationes patitur, non debet in cogitatione dicere : Perdidit opera mea bona quæ faciebam. Qui enim hoc dixerit, non pro amore Dei, sed pro mercede felicitatis hujus vitæ, aut pro laude humana opus bonum fecisse cognoscitur. Probabitur enim homo flagellis Dei, quo animo benefaciat, vel qua fortitudine sufferat tentationes sibi supervenientes. Tentat enim vos Deus, dicit Apostolus, ut sciat si diligitis eum. Prorsus, tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus est perfectum. Beatus enim vir, qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (Jac. 1, 3, 4). Nemo bene sapiens est, qui patientiam non habet. Fortior est dominator [Ms., dominitor] animi sui expugnatore urbium (Prov. xvi, 32). In patientia vero querenda est ignoscendi facultas, non vindicandi opportunitas. Tales sunt quidam, qui tempore injuriarum patienter sufferunt, ut subsequenter facilius vindicare valeant. Hi veram non habent patientiam. Patientia vera est in faciem fortiter sustinere injurias, et in futuro vindictam non querere, sed ex corde ignoscere. Sine ferro vel flammis martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo servamus cum proximis nostris. Laudabilis est injuriam tacendo declinare, quam respondendo superare. Qui patienter tolerat mala, in futuro coronam merebitur sempiternam.*

### • CAPUT X.

*De humilitate.*

*Quanta sit vera humilitatis virtus, facile ex verbis Domini cognoscitur, qui ut superbiam Pharisæorum damnaret, dixit : Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (Matth. xxviii, 12). Humilitatis passibus ad coeli culmina concenditur; quia Deus excelsus non superbia, sed humilitate attingitur. De quo dictum est : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. iv, 6). Unde et in psalmis dicitur : Excelsus Dominus et humilia respicit, et alta a longe cognoscit (Psal. cxxvii, 6). Alta posuit pro superbis, humilia vero pro humiliis [Al., pro mansuetis]. Humilia respicit, ut attollat : alta, id est, superba cognoscit, ut dejiciat. Discamus igitur humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus, sicut ipse in Evangelio ait : Discite a me quia misericordia sum et humili corde, et invenietis requiem animabus vestris (Matth. xi, 29). Per superbiam mirabi-*

*• Hoc caput 10 pars est sermonis 297 S. Aug.*

*lis angelorum creatura cecidit de cœlo . per humilitatem [Dei] fragilitas humanæ naturæ ascendit ad cœlum. Honesta est enim inter homines humilitatis consuetudo, sicut Salomon ait : Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia. Ubi autem humilitas, ibi et sapientia (Pror. xi, 2). Item alius [quidam] Sapiens : Quanto major es, humili te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (Eccli. iii, 20). Item Dominus dicit per prophetam : Ad quem autem respiciam nisi ad humilem, et quietum, et trementem verba mea (Isai. lxvi, 2)? Quicunque humilis et quietus non erit, non potest in eo habitare gratia Spiritus sancti. Deus humilis factus est nostræ salutis causa, ut erubescat homo superbus esse. Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso. Qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria [Al., qui hic humilis fuerit in terra.... in gloria futura]. Primus humilitatis gradus est veritatis sermonem humiliiter audire, memoriter retinere, voluntarie perfricere. Eam quippe, quam non invenit humilem [veritas] fugit mente. Quantum quis humilior erit de seipso, tanto major erit in conspectu Dei. Superbus vero quanto gloriosior appareat inter homines, tanto dejectior erit ante Deum. Qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum 133 pulverem portat. Quid superbis terra et cinis, dum vento superbæ dispergitur; quod jejuniis et eleemosynis congregare videtur? Noli, o homo, in virtutibus tuis gloriari; quia alterum habiturus es judicem, non te ipsum; in cuius conspectu te ipsum in corde tuo humiliare oportet, quatenus ille te exaltet in tempore retributionis tuæ. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim sibi vilis est, ante Deum magnus est [Al., pulcher est]; et qui sibi displicet, Deo placet [Al., et qui sibi placent, Deo displicant]. Esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Domini. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris ante oculos tuos despiciens. In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est, humilitatis virtus.*

### CAPUT XI.

*De compunctione cordis.*

*Compunctionis cordis ex humilitatis virtute nascitur; de compunctione confessio peccatorum; de confessione penitentia; de paenitentia vera provenient delictorum indulgentia. Compunctionis cordis est humilitas mentis, cum lacrymis, et recordatione peccatorum, et timore judicii. Ex gemino fonte compunctionis solent profluere lacrymæ; id est, dum merita operum suorum diligentius [Ms., dum mens.... diligentius mala] considerat; altera dum desiderio æternæ vitæ suspirat. Unde Propheta ait : Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte (Psal. xli, 3, 4). Item : Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Et : Cor meum, et caro mea exultarerunt in Deum vivum (Psal. lxxxviii,*

3). Quatuor sunt qualitates affectionum [Ms., afflictionum], quibus cogitatio justi tristis salubri compungitur, hoc est, memoria præteriorum facinorum, recordatio futurorum poenarum, consideratio peregrinationis suæ in hujus vita miseris, desiderium superne patriæ, quatenus ad eam quantocius valeat pervenire. Quando ergo ista in corde hominis sunt, sciendum est tunc esse Deum per gratiam suam cordi humano præsentem. Unde et in psalmo dicitur : *Déus ritam meam nuntiavi tibi; posui [Ms., posuisti] lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua* (Psal. lv, 9). Promissio indulgentiae quam habemus a Deo, lacrymas penitentiae excitat cordi nostros. Thesaurus desiderabilis in corde hominis, compunctionis dulcedo. Anima hominis quæ in oratione compungitur, valde illi proficit ad salutem. Cum per orationem compunctionis effunditur, Spiritus sancti præsentiam adesse cordibus nostris non dubium est.

## CAPUT XII.

*De confessione.*

Hortatur nos saepius Scriptura ad medicamentum fugere confessionis : non quod Deus indigeat confessione nostra, eui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur, aut agimus ; sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confitemur poenitentes quod iniqui gessimus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicij : si tamen confitens poenitendo diluit quæ fecit, nec iterum renovat quæ egit [Ms., revoeat, quæ gemit]. Confitemini, dicit Jacobus apostolus, alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (Jac. v, 16). Item beatus Paulus apostolus : *Ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 10). Sed et Salomon de confessione peccatorum dixit : *Qui abscondit peccata [Ms., sceleru] sua, non dirigeretur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur* (Prov. xxviii, 13). Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ prave [Ms., impie] gessimus, nec priorum cicatrices vulnerum resauciare. Sic autem dixit Joannes evangelista : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus, ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniuritate* (I Joan. i, 9). Similiter et Psalmista ait : *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti iniuriam [Ms., impietatem] peccati mei* (Psal. xxxi, 5). Vivens confiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec poenitentia ad salutem proficiens. Ecce nunc tempus salutis, ecce nunc tempus acceptabile Deo (II Cor. vi, 2). Tempus est nunc remissionis poenitentibus ; sed tempus 134 erit post mortem vindictæ negligentibus confiteri scelera sua. Omnes enim impii amaram habent in tormentis poenitentiam, sed non proficit eis poenitentia ad salutem [Ms., remissionem] : sed conscientia torquet eos ad augmentum poenarum quas patiuntur. Potuerunt enim sibi per confessionem præcavere tormentorum

A immanitatem, et neglexerunt. Ita sicut foras flammis, ita intus in conscientia propria torquentur. Quomodo potest medicus vulnus sanare, quod ægrotus ostendere erubescit ? Deus enim confessionem nostram desiderat, ut justam habeat causam ignoscendi. Qui peccata sua occultat, et erubescit salubriter confiteri, Deum testem habet nunc, et iterum habebit eum ultorem. Optime se judicat homo in hac vita, ne judicetur a Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in poenitentia omnis peccator, sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit. Quod enim oportuit, non gessit, et quod non oportuit, egit. Confessio justificat, confessio veniam peccatis donat. Omnis spes venia in confessione consistit. Confessio opus est misericordiae : salus ægroti unicum est viribus [Forte, viitiis] nostris medicamentum cum poenitentia.

## • CAPUT XIII,

*De poenitentia.*

Cujus ipse Salvator in Evangelio virtutem ostendit, dicens : *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (Matth. iii, 2). Et Joannes Baptista ait : *Facite fructus dignos poenitentiae* (Luc. iii, 8). Fructus est dignus poenitentiae, transacta flere peccata, et eadem iterum non agere, sicut Scriptura ait : *Non adjicies peccatum super peccatum* (Eccli. v, 5), *Lavamini, dicit Dominus per Isaiam prophetam, et mundi estote* (Isai. i, 16). Lavatur itaque et mundus est, qui præterita plangit, et iterum flenda non admittit [Al., non committit]. Lavatur et non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit : et post lacrymas hec quæ fleverat, repetit. De his qui post lacrymas ad delicta revertuntur pejora [Al., priora], beatus Petrus terribiliter ait : *Canis revertitur ad vomitum suum* (II Petr. ii, 22). Fili, peccasti, dicitur in Scriptura sancta, non adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, et remittentur tibi (Eccli. xxI, 1). Poenitentia vera non annorum numero censemur, sed amaritudine animi. Unde beatus Petrus mox a Domino indulgentiam recepit, quia amarissime flevit trinæ negationis culpam. Poenitentia, quamvis sit exigui temporis ; si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis [poenitentis] pensat. Qui enim in Christum tota mente confidit, etiamsi in multis moriatur peccatis, fide sua vivit in æternum, sicut ipse Dominus in Evangelio ait : *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, virget : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum* (Joan. xi, 25). De morte animæ dixit, quia propter peccatorum ægritudinem [Al., quæ pro ægritudine] eveniet illi. Deus autem natura misericors est, paratus est salvare per misericordiam, quos non veniet [Ms., invenit] salvare per justitiam, qui vult omnes salvos fieri, et neminem perire (I Tim. ii, 4) : qui

• Ex capitulis 12 et 13 constat sermo 254 S. Aug.

per prophetam ait : *In quacunque die conversus fuerit peccator, rita viret, et non morietur* (*Ezech. xviii, 21*). Quamvis quisque sit peccator et impius, si ad poenitentiam convertatur, consequi posse veniam se per Dei misericordiam non dubitet. In hoc saeculo poenitentiam facientibus Dei misericordia subvenit. In futuro autem poenitentia non proficit, sed rationem nostrorum [operum] reddituri sumus. In hac vita tantum poenitenti [Ms., poenitentiaz] patet libertas, post mortem vero nulla correctionis est licentia.

#### CAPUT XIV.

*De non tardando converti ad Deum* [Al., *De conversione ad Dominum*].

Legitur in litteris divinitus inspiratis dictum : *Fili, ne tardes converti ad Deum* [Ms., *Dominum*], *quia nescis quid futura pariat dies* (*Eccli. v, 8*). Qui tardat converti, periculum facit animae suae, *quia mors non tardat* (*Eccli. xiv, 12*). Quae si tardantem converti inveniet, ad tormenta ducit eum. Dissoluta et paralytica [Ms., periculosa] cogitatio est, de crastina cogitare conversione, et hodiernam negligere. Quid tu peccator [converti] dissimulas. **135** et non metuis, ne tibi mors repentina subripiat diem conversionis? Nonne homines subito moriuntur? Si bonum est peccata dimittere, et ad Deum converti, cito fiat. Deus tibi promittit remissionem convertenti a peccatis, securitatem tibi non promisit diu vivendi. [Lege prophetas, lege Apostolum, et vide si tibi promissa sit hora aut dies.] Ideo convertat se citius unusquisque ad Deum, et cum invenerit eum, derelinquit impius viam suam. Si subito intrat dies extremus, perit dilatio, et restat damnatio. Perire non vis, redi ad Deum, et vives. Noli desperare [Ms., peccando sperare] de venia peccatorum, nec de vita longiori confidere. Convertere ergo, et poenitentiam age. Cras, inquies, convertam. Quare non hodie? Quid mali, dicis, si cras dicam? Quid mali, si hodie? Forte dicis: Longa erit vita mea. Dicam, si longa sit [Ms., erit], bona sit; si brevis, et ipsa bona sit. Quis ferat malum longum? Prandum longum non vis habere malum, et vitam longam vis habere malum? Villam emis: bonam desideras. Uxorem vis ducere: bonam queris. Filios tibi nasci vis: bonos optas. Et ut etiam de rebus vilissimis loquar, caligas emis, et non vis malas: et vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona [tua] solus sis malus? *Neque tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli. v, 8*). Verba Dei sunt, non mea. Non a me haec audisti, sed ego tecum audio a Domino. Forte respondes: Cras, cras. O vox corvina! Corvus non redit ad arcum, columba redit. Si enim tunc vis poenitentiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Satis alienus a fide est, qui ad agendum poenitentiam tempus senectutis exspectat. Metuendum est, ne dum sperat misericordiam, incidat in judicium. Neque enim tunc ve-

niat inveniet, qui modo aptum veniam tempus perdidit. Ibi jam a Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod jussit. Qui tempus paenitentiae datum [sibi] neglit, frustra ante tribunal Christi preces effundit. Festinare debet ad Deum convertendo unusquisque, dum potest, ne si, dum potest, voluerit, omnino cum tarde voluerit, non possit.

#### A CAPUT XV.

*De timore Domini.*

*Initium sapientiae timor Domini* (*Psal. cx, 10*). Magna est cautela peccati Deum semper praesentem [Ms., Dei praesentiam] timere. Qui perfecte Deum timet, diligenter se a peccatis custodit. *Timentis Deum in novissimo die bene erit, et merces ejus in eternum permanet* (*Eccli. i, 13*). Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quanto magis debet erubescere in conspectu Dei iniquitatem agere, qui non solum opera, sed et corda considerat. Qui timore sancto Deum metuunt, inquirunt quae bona placita sunt illi. Alius est timor filiorum, alias est timor servorum. Servi enim propter tormenta dominos timent, filii vero propter amorem patres timent. Si filii Dei sumus, timeamus eum ex charitatis dulcedine, non de timoris amaritudine. Homo sapiens in omnibus operibus suis metuit Dominum, sciens se nunquam ejus praesentiam fugere posse, sicut Psalmista Deo dicit: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (*Psal. cxxxviii, 7*)? Iterum: *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente* (*Psal. lxxiv, 7*), subauditur, patet locus fugiendi Deum. Qui timet Deum, accipiet doctrinam ejus, et qui vigilaverint in mandatis illius, invenient benedictionem sempiternam (*Eccli. xxxii, 18*). *Timentis Deum beata est anima* (*Eccli. xxxiv, 17*), et a tentatione diabolica tuta remanet. *Beatus homo, qui semper est pavidus* (*Pror. xxviii, 14*), et cui donatum est Dei timorem semper ante oculos habere. Qui timet Dominum, recedit ab itinere pravo, et ad virtutis semitam vias suas dirigit. Timor Domini repellit peccata, et adjicit virtutes. Timor cautum facit hominem et sollicitum, ne peccet. Ubi vero timor Domini non est, ibi dissolutio vitae est. Quisquis Deum in prosperis non timet, vel [Ms., saltem] in adversis refugiat ad illum, qui flagellat, ut sanet. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupid nimis* (*Psal. cx, 1*). Timor Dei timorem gehennae expellit. Sic [ergo] timeamus Deum, ut diligamus eum; quia *perfecta caritas foras mittit timorem servilem* (*I Joan. iv, 18*).

#### B CAPUT XVI.

*De jejunio.*

Perfectum est jejunium, quod in eleemosynis et oratione fit. Cœlum [Al., orationibus in cœlum] transit, et ad thronum altissimi Dei pervenit. Tunc enim homo spiritualis effectus angelis conjungitur, Deoque liberius copulatur, si abstinentia carnis orationibus exaltatur. Per jejunia et orationes occulta mysteriorum cœlestium revelantur, divinique sacra-

\* Hoc capit. 15, pars est sermonis 97 S. Aug. Append.

menti arcana panduntur. Quandiu Adam abstinuit, mansit in paradiſo: manducavit, et expulſus est. Jejunia fortia tela ſunt adverſus tentamenta dæmoniorum; cito enim per abſtentiam vincuntur. Unde etiam Dominus et Salvator noster eorum incurſus jejuniiſ et orationibus præmonet ſuperare dicens: *Hoc genus non ejicitur, niſi in oratione et jejunio* (*Matth. xvii, 20; Marc. ix, 28*). Immundi enim ſpiritus ibi ſe fiducialibus immittunt, ubi videbunt frequenter comessationes et ebrietates exerceri. Abſtentia corpus macerat, ſed cor impingueſcit [*Ms. impinguat*]. Carnem debilitat, ſed animam conforat. Sed ſciendum eſt quod jejunia cum bonis operibus Deo optimè ſunt acceptabilia. Qui autem a cibis abſtinent, et prave agunt; dæmones imitantur, quibus eſca carnalis non eſt, et nequitiā ſpiritualis ſemper inēſt. Ille enim bene abſtinet a cibis, qui et a malitiā actibus, et a mundi jejunat ambitionibus. Melius eſt prædicationis sanctæ convivio [et verbi Dei pabulo] victoram in perpetuo mentem reſacere, quam ventrem mortiferæ carnis [terreno pane et] deliciōſis ſaturare epulis.

#### CAPUT XVII.

##### *De eleemosynis.*

Sciendum eſt enim eſſe pietatis opus, ut de his quæ nobis coeleſtis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios aſſjuvemus. Sunt enim plurimi qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in ſeculi dīvitias portionem. Quorum inopie de ea quam Dominus nobis dedit copia consulere C debemus, ut et ipsi nobiſcum Deo pro terraſ ſecunditate benedicant, et gaudeant poſſidentibus fuſſe donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis facta fuerunt communia. Felix eſt illud horreum, et omnium fructuum multiplicatione digniſſimum, unde egentium, et debilium, et peregrinorum ſaturatur eſuries. Quos ideo ſub diversis moleſtiis iuſtitia Dei laborare permisit, ut et miseros pro patientia, et misericordes pro benevolentia coronaret. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio eſt in eleemosynis atque jejuniiſ; et velociter ad divinas conſendit aures talibus oratio elevata ſuffragiis, quoniam ſcriptum eſt: *Animæ ſuæ benefacit vir miſericors* (*Prov. xi, 17*). Pars enim corporalium facul- tatum, quæ indigentibus ministratur, in dīvitias largenti transit æternas. Ita misericordiam Dei et indulgentiam peccatorum noſtrorum, pauperum miſeratione et eleemosynis meremur: quoniam qui ſuum ab inope non avertit animum, cito ad ſe Domini convertit auditum, dicente Domino: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater vester miſericors eſt* (*Luc. vi, 36*). Quod reddituram ſe promittit Veritas, ſecura expendat [et tribuat] humanitas. Conſtant eſto, Chriſtiane largitor, da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium, noli de dubio ſpirare proventu. Subtantia tua cum bene erogatur, augetur. Remunerator tuus vult te

A eſſe munificum. Et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens: *Date, et dabitur robis*. O avare, ſi aurum diligis, vel dīvitias ſeculi, da, ne perdas. Si ſervaveris, ſine dubio perdes: ſi erogaveris, omnino habebis eas æternaliter, dicente ipsa Veritate: *Theſaurizate vobis theſauros in caelo, ubi nec arugo, nec tinea demolitur: neque fures effodiunt, et furantur. Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt et cor tuum* (*Matth. vi, 29*). Utique bene dispensantes temporalia acqui- retis æterna. Noli timidus eſſe in largiendo, ne ſis egenus in retributione: quia qui parce ſeminat, parce et metet (*II Cor. ix, 6*). Qui autem miſeretur pauperi, beatus eſt (*Prov. xiv, 21*). Redemptio itaque animæ viri, dīvitiae ejus (*Prov. xiii, 8*). Honorat Deum, qui miſeretur pauperis. Absconde eleemosynam in ſinu pauperis, dicit Scriptura ſancta, et ipsa orabit pro te (*Eccli. xxix, 45*). Sicut aqua **I37** extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Animam eſſurientem ne despixeris, et ne exasperes pauperem in clamore ſuo (*Eccli. iv, 2*). Qui avertit aurem ſuam a clamore pauperis, illius oratio clementiam Dei non merebitur [*Ms.*, meretur]. In vita tua benefac animæ tuæ, eleemosynas dans miſeris, quia post mortem non habes potestatem bene faciendi. In conviviis tuis pauperes vescantur, et Christus in illis. Tria ſunt genera eleemosynarum: una corporalis, egenti dare quidquid potueris; altera spiritualis, dimittere ei a quo Ihesus fueris; tertia delinquenteum corrige, et erranteſ in viam reducere veritatis.

#### A CAPUT XVIII.

##### *De castitate.*

Castitas angelica eſt vita. Castitas cum humilitate, Spiritus sancti merebitur habitacionem, quem expellit immunditia libidinum, dicente Scriptura: Corpus peccatiſ ſubditum Spiritus sanctus effugiet (*Sap. 1, 3*). Membra noſtra Deo debent eſſe dicata, non fornicationi. Opponat hoquo desiderio carnis ſuæ æter- norum flammaſ tormentorum. Assuescat juuenis castitati, ut ſit dignus sapientia Dei. Ubi immunditia eſt corporis, ibi habitatio diabolici spiritus; qui maxi- me gaudet in inquinatione carnis noſtræ. Omnes immunditiae Deo diſplicent, et maxime quæ non ſunt naturales. Admonet itaque nos Scriptura ſancta, di- cens: *Post concupiſcentias tuas non eas, et a volun- tate tua avertere. Si preſtes animæ tuæ concupiſcen- tias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis venire* (*Eccli. xviii, 30, 31*). Ejus quoque modi Salomon ſapien- tiſſimus proferebat ſententias de cavenda im- munditia carnis, dicens: *Favus diſtillans labia me- retricis, et nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi absinthium, et acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt ad mortem, et ad infe- ros gressus illius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt gressus ejus, et inviſigabiles. Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei. Longe ſac ab ea vias tuas, et ne appropi- queſ ſoribus domus ejus* (*Prov. v, 3-8*). Hoc ſiquidem

\* Ex hoc capite 18 formatus eſt ſermo 91 S. Aug.

non solum de meretricum inmunditia dixit, sed etiam de omni carnis concupiscentia, quæ sollicitat animam suis consentire desideriis. Sed ratio mentis prohibere debet impetus carnis, et refrenare voluptates ejus iniquas. Item ille qui supra, prohibens cohabitatem seminarum, juvenibus dicit: *Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam* (*Prov. vi, 27-29*). Similiter et beatus Paulus admonet nos apostolus, inquiens: *Bonum est mulierem non tangere* (*I Cor. vii, 1*), quasi statim in tactu periculum esset. Pulchra est casta juvenum pudicitia, et Deo amabilis, et ad omne bonum utilis. Qui filios habet spirituales, vel carnales, nutriat illos in castitate Deo, non in fornicatione diabolo. Quid prodest homini filium habere, nutritre, amare, si æternis eum nutriet tormentis? Qui in castitate vivunt, angelicam habent in terris conversationem. Castitas hominem cœlo conjungit, angelis facit concivem. Qui mulierem habet legitimam, legitime utatur ea temporibus opportunitis, ut benedictionem mereatur filiorum a Deo recipere. Nemo dicat a fornicatione se custodire non posse. *Fidelis est enim Deus*, dicit beatus Apostolus, *qui non permittit nos tentari supra id, quod portare non* [Ms. omit. non] *possimus: sed faciet etiam cum tentatione proventum* (*I Cor. x, 13*). Talis unicuique homini tentatio datur, sive in carnis desiderio, sive in ambitione sæculi, vel etiam in quacunque tentationis molestia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio succumbere poterit. Omnibus enim castitas semper necessaria est, sed maxime ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, et assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla carnis contagione [Ms., nullo... contagio] corrumpantur; sed potius continentia castitatis splendeant et totius honestatis fulgeant in populo exemplis.

### 138 CAPUT XIX.

#### *De fraude cavenda.*

Dominus ipse, qui nos benignos admonet de nostra substantia pauperibus et miseris esse, prohibet nos ab omni avaritia et injusta pecuniæ acquisitione. Qui vero ait: *De justis laboribus tuis fac eleemosynam* (*Tob. iv, 7*), ipse per apostolum suum hortatur nos, dicens: *Nolite fraudem facere* [Ms., *nolite fraudare*] *invicem* (*Marc. x, 19*). Qui fraude qualibet aliquid acquisierit, perdit justitiam et æquitatem [Ms., justitiae æquitatem]. Dic avare, dic cupide, dic scelerate, quid acquisisti? Forte dicens: Aurum acquisivi? et verum dicens. Ecce aurum acquisisti per fraudem, et fidem perdidisti per injustitiam. Si in mercato fidem invenires venalem: si bonus essem, quomodo comparasses [Ms., comparares] eam? Quare non times perdere ea, quæ [Ms., eam, quam] te Deus voluit habere in corde? Aurum habes vel argentum, vel aliud quid pretiosius in arca; sed

A damnum in corde. His omnibus meliores divitias perdidisti, id est, fidem, et justitiam, et dilectionem Dei et proximi. Lucrum tuum cogitas, damnum tuum non consideras. Si haec lucro gaudes, quare illa perdita non plangis? Plus ergo perdidisti quam acquisisti. O dives, rapis per potentiam quod tibi placet habere, et perdis per injustitiam quod te Deus vult habere, id est, beatitudinem sempiternam. Si omnis fur vel raptor lumen oculorum perdidisset in furto vel rapina, nunquid postea furtum fecisset vel rapinam? Et nescit, quod in ejusmodi peccato lumen perdit cordis, quod melius est omni lumine corporis. Magis, avare, da pauperibus quod habes, ut invenias in cœlo quod dedisti in terra. Quid times paenitentiam tuam perdere, et non times ut totus pereas? Pro acquisitione pecuniæ falsum testimonium dicas, mentiris, rapis aliena. Juras, perjurias, quæ lex vetat. Cum haec omnia facis, quare non times, ne totus ardeas in æternum? Cur, avare, plus amas aurum, quam animam? *Quid enim proderit tibi, si mundum universum lucreris, animæ autem tuae detrimentum patiaris* (*Matth. xvi, 26*)? Et ipse Dominus dicit in Evangelio: *Cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam rita ejus, quæ possidet* (*Luc. xii, 15*). Nunquid non divites similiter moriuntur, sicut et pauperes? Non prodesse possunt divitiae in die ultionis, nec liberabunt male utentes [Al., viventes] eis a paenitentiis. Nihil est avaro scelerius, qui animam suam habet venalem pro cupiditate divitiarum. Avaritia modum ignorat, et cum omnia devoret, nescit penitus satiari [Ms., saturari]. Esuriens semper et inops est. Avarus vir inferno est similis, qui nunquam impletur.

### CAPUT XX.

#### *De judicibus.*

Omnis qui recte judicat, stateram in manu gestat. In utroque sensu [Ms., pensu] justitiam et misericordiam portat: ut pro justitia reddat peccatis sententiam pro misericordia peccati temperet poenam. Quædam vero sunt a judice bono per æquitatem corrigenda, quædam per misericordiam indulgenda. Sine personarum acceptione debent esse judicia. Nihil enim iniquius est, quam munera accipere in judiciis: *quia munera excæcant corda* [Ms., *oculos*] *prudentium, et subvertunt corda* [Ms., *verba*] *justorum* (*Deut. xvi, 19*). *In quo enim judicio, dicit Dominus, judicabitis; judicabitur [de] vobis* (*Matth. vii, 2*). Quapropter judex Deum judicem timeat, ne forte Deo judicante damnetur. Qui innocentes damnat, vel impios justificat pro muneribus; vel cuiuslibet personæ amore vel odio [inique judicat, in Dei judicio vindictam sustinebit]. Nemo principum stultos vel improbos judices ponere debet. Nam stultus per ignaviam ignorat justitiam, improbus autem per cupiditatem subvertit ipsam quam didicit veritatem. Pene gravius lacerantur pauperes a pravis judicibus, quam a cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tam cupido in alienis, quam judex iniquus in suis. Pejores

sunt hostibus judices iniqui. Hostes saepe fuga vitantur : judices [vero] propter potentiam effugi non possunt, qui divitias et civium oppressione congregare student. Aliquoties judices boni ministros **139** habent rapaces, quorum scelere coinquinantur, si non prohibent rapacitatem illorum. Hi in alienis pereunt peccatis, quia non solum, ut egregius mundi doctor ait, *qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua* (*Rom. 1, 32*). Sæpe judices pravi cupiditatis causa aut differunt, aut pervertunt *judicia*. Nec finiunt causas, quoisque sacculi eorum impleantur. Quando enim judicant, non causas, sed dona considerant. *Judices pravi, juxta Prophetæ verbum, quasi lupi vespere : non relinquunt in mane* (*Sophon. iii, 3*), hoc est, de præsentis vitæ commodo tantum cogitant, de futuro autem nihil : luporum more cuncta rapientes, et vix pauperibus pauca relinquentes. Iracundus judex judicii examen plene contueri non valet, quia caligine furoris non videt claritatem justitiae. Non est persona in judicio consideranda, sed causa. Scriptum est enim : *Non accipies personam in judicio* (*Deut. 1, 17*). Iniqui judices errant in veritatis sententia, dum intendunt qualitatem personæ : et nocent saepe justis, dum improbe defendunt impios. Acceptio munerum in judiciis, prævaricatio est veritatis. Qui Deum timentes juste judicant, æterna a Domino accepturi sunt præmia.

## CAPUT XXI.

*De falsis testimonibus.*

*Falsus testis*, dicit Salomon, *non erit impunitus* (*Prov. xix, 9*). Qui falsum testimonium profert contra proximum suum, extinguetur lucerna ejus in die ultimo. Qui metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iracundiam Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum. Falsidicus testis tribus est personis obnoxius : primum Deo, cuius præsentiam contemnit ; deinde judici, quem mentiendo fallit ; postremo innocentem, quem falso testimonio laedit. Si falsi testes separantur, mox mendaces inveniuntur. Uterque [æque] reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit : quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. Beatus cuius testimonium in conspectu Dei probabile inventetur. Quatuor modis justitia in judiciis subvertitur : timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicujus veritatem [dicere vel] judicare quislibet pavescit ; cupiditate, dum præmio munieris alicujus corrumpitur judex ; odio, dum cuiuslibet inimicitiae causa nocere alteri desiderat ; amore, dum amicos vel propinquos contra justitiam defendit potentior. His quatuor modis saepe æquitas judicii subvertitur, et innocentia laeditur. Magis dolendi sunt qui opprimunt pauperes, quam qui patiuntur injuriam. Illi enim qui opprimuntur, temporalem miseriam cito finiunt [*Al.*, transeunt] : illi vero qui opprimunt eos per injustitiam, æternis flammis deputabuntur [*Ms.*, deputantur]. Illic vero saepe a malis boni judicantur : in futura siquidem vita mali

A judicabuntur a bonis. Sæpe etiam et hic boni infelices sunt et miseri coram hominibus, et mali felices. In illa itaque æterna retributione semper boni felices erunt, et mali semper miseri erunt. Illi quibus bona sunt [*Ms.*, bene sit] in hoc sæculo, contendant maxime ne bona perdant perpetua : et qui molestias patiuntur, fortiter eas sufferant, ut æterna beatitudine digni inveniantur.

## CAPUT XXII.

*De invidia.*

*Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap. ii, 24*). Dum invidebat homini terreno cœlum, querebat quomodo eum perderet per transgressionem illius mandati, quod Creator homini statuit. Nihil nequius potest esse invidia, quæ alienis torquetur bonis : et quod ipsa non habet, alios invidet habere. Omnibus inimica est bonis invidia. Ubi est invidia, charitas esse non potest. Et ubi charitas non est, ibi nihil boni esse poterit. Qui invidet, diabolo similis est, qui per invidiam hominem de paradisi felicitate dejectit. Magnus vir est, qui invidiam humilitate superat, discordiam charitate destruit. Quid infelicius est homini, quam alterius bonum suum egisse supplicium ? Omnis enim invidus animo torquetur. Unde igitur bonus proficit, inde invidus contabescit. Melius est **140** bonorum imitari exempla, quam eos invidiæ stimulo agitare. Invidia sensum mordet, pectus urit, mentem afflit. Nullus de alterius cuiuslibet doleat bono, vel felicitate aliena contristetur. Potest itaque homo alterius bonum suum facere, dum amat in altero, quod in se [*Ms.*, quod ipse] non facit.

## CAPUT XXIII.

*De superbia.*

*Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac. iv, 6 ; I Petr. v, 5*). Maximum diaboli peccatum fuit superbia. Quapropter omni vitio deterior [*Ms.*, omnium malorum pejor] est superbia, quæ saepe et de bonis nascitur actibus, dum homo in suis bonis operibus superbit : et hoc perdit per superbiam, quod habuit per charitatem. Omnium vitiorum nivissimum est superbia, dum homo virtutibus ornatur, et in his superbire cœpit [*Ms.*, cœperit ; *Al.*, cupit]. *Omnis quoque peccati initium superbia est* (*Eccle. x, 15*), dum anima præcepta contemnit Creatoris, mox in cuiuslibet peccati corruit foveam. Omnis superbia tanto in imo jacet, quanto se erigit in alto. Tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur. Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei justitiam damnatur. Ante ruinam hominis exaltatur spiritus ejus. Nihil magis Christiano vitandum est quam superbia, quæ iram Dei provocat. Nam superbia ex angelis dæmones fecit : humilitas autem homines sanctis angelis similes reddit. Superbi cupiunt in se prædicari quod non faciunt : humiles refugiunt, quidquid boni operantur, agnoscunt. Non elevetur homo in bono suo, nec laudem sibi querat, quamvis aliquid boni faciat : sed Deum lau-

dare [Ms., laudari] cupiat in donis stis, quia nihil boni facit [Ms. fecit], nisi quod Deus donavit ei facere.

## CAPUT XXIV

*De iracundia.*

Egregius mundi Prædictor dicit: *Omnis enim umaritudo, et ira, et indignatio, et clamor et blasphemia tollatur a vobis* (Ephes. iv, 31). Nec enim ira viri justiam Dei operari poterit (Jac. i, 20). Ira sine temperamento expers est rationis. Responsio mollis mitigat iram, sermo durus suscitat furem. *Vir iracundus*, ut ait Salomon, *provocat rizas: qui patiens est, mitigat suscitatas* (Prov. xv, 18). *Spirritum vero ad irascendum facilem quis sustinere poterit* (Prov. xviii, 14)? *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor finem vindictæ novit* (Prov. xxvii, 4). Si te, o homo, præoccupaverit ira, mitiga eam. Illa ira mala est, quæ mentem turbat, ut rectum consilium perdat. Illa ira est justa et necessaria, quando homo contra propria irascitur peccata, et contra seipsum indignatur, dum male agit. Dicit enim propheta: *Irascimini, et nolite peccare* (Psal. iv, 5). Concessit quodd naturæ est, tulit quod culpæ est. Ira alterius tua liniatur patientia. *Noli rinci a malo, sed vincere in bono malum* (Rom. xii, 21). Alterius peccatum tuum sit præmium. Dispicet tibi alterius ira? Quod tibi in altero dispicet, in teipso quoque displaceat. Noli tranquillitatem mentis tuæ alterius perturbatione maculare. Noli te æqualem stulto facere, quia *ira in situ stulti requiescit* (Eccl. vii, 10). Si tu irasperis contra eum, erunt [Al., eritis] duo mali, tu et ille. Melius est [Ms., esset] te esse bonum, quamquam ille sit malus. Cur tu ex alterius malitia malus efficeris?

## CAPUT XXV.

*De humana laude non querenda.*

Dominus dicit in Evangelio: *Attendite, ne justiam restraint faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (Matth. vi, 1), id est, ut ea intentione non faciatis bona, ut ab hominibus vanam laudem habeatis; sed quidquid homo facit boni, pro Dei amore et salute animæ suæ, et fraterna charitate faciat. Ideo ipse Dominus dixit de quibusdam, qui eleemosynas faciunt, vel orationes et jejunia, ut ab hominibus laudem accipient: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (Matth. vi, 2). Qui pro eo bonum quolibet facit, ut ab hominibus laudetur, haec est merces illius quam quæsivit, et nullam a Deo sperare habet retributionem; quia pro ejus amore **14** non fecit, sed pro vana humanæ laudis jactantia, sicut hypocritæ facere solent. Quod vitium hominibus placendi in bonis operibus, Dominus Jesus Christus multum detestatur, et saepius Phariseos, qui tales fuerunt in Judæa, terribili [Al., tali] persecut maledictione, dicens: *Væ vobis, hypocritæ*

\* Sunt qui libellum alterum ex capp. seqq. conficiunt, et a præcedenti separant. Verum series ac

**A** (Math. xxiii, 13) ! [Nos autem non eos imitemur], sed secundum Apostolum: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* (I Cor. i, 31). Qui laudem non appetit, nec pro contumelia conturbatur. Nec ideo se bonum estimet homo, quamvis ab alio laudetur, quia Deus inspector est cordis. Quid enim prodest malo homini, si bonus prædicetur? Tunc veraciter hoc quod agit homo bonus est, quando Deo placere desiderat, a quo habet quidquid boni habet vel facit. Qui bona agere videtur, et per hæc non Deo, sed hominibus placere cupit, in vanum laborat, et in ventum seminat. Magnum se unusquisque esse studeat in suis operibus; sed de magnitudine sua humanum non querat favorem, ne perdat quod habuit, et sit parvus factus [Ms., et parvus efficiatur]. Quidquid enim homo **B** boni faciat, hoc se sciat habere non a se, sed a Deo. Increpat eos beatus Paulus apostolus qui in suis gloriantur benefactis, dicens: *Quid habes, quod non acceperisti? Si autem acceperisti, quid gloriaris, quasi non receperis* (I Cor. iv, 7)? Qui aliquod donum Dei quod meruit, in suam laudem convertit, procul dubio virtutem in vitium transfert, et bonum quod fecit, in peccatum. Cum enim causa jactantie pascitur pauper, etiam ipsum misericordiae opus in peccatum convertitur. Quidquid homo boni agit, Deo querat laudem, non sibi, sicut ipse Dominus in Evangelio ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorifcent Patrem vestrum, qui in cælis est* (Math. v, 16).

## CAPUT XXVI.

*De perseverantia in bonis operibus [Ms., boni operis].*

Non queritur in Christiano initium boni operis, sed finis: quia de fine suo unusquisque judicabitur. Sunt enim qui bene incipiunt, et male finiunt conversationem suam; sicut Judas primo apostolus, et postea proditor Domini, et facti sui conscient laqueo se suspendit (Act. i). Saulus [Al., Paulus] male coepit, sed bene finivit: primo persecutor, postea prædictor. Virtus boni operis est perseverantia, ipso Domino dicente: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. (Math. x, 22). Non igitur qui coepit bonum, sed qui perseveraverit in bono, hic salvus erit. Tunc enim placet Deo nostra conversatio, quando bonum quod inchoamus, perseverantia fine complebimus [Ms., complemus]. Bonum ergo non coepisse, sed perfecisse, virtus est. Non inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Semper in vita hominis finis queritur, qualis sit extremo tempore vite suæ: quia de fine suo unusquisque aut justificatur, aut condemnatur. Ideo unusquisque instantissime bona quæ coepit, perficere contendat, ut perpetuam a Domino mereatur mercedem accipere.

## CAPUT XXVII.

*De octo vitiis principalibus, et primo de superbia.*

Octo sunt vitiæ principalia vel originalia omniū materia ipsorum capitulorum hoc revincit, et mss. codd. fides una cum auctoris intentione manifesta

vitorum, ex quibus quasi radicibus omnia corrumpere mentis vel incasti corporis diversarum vitia pullulant iniquitatum. De quibus pauca dicere ratum duximus, vel ex quibus radicibus qui rami vitiōse germinationis crescere videantur; ut sciat unusquisque radicibus extirpatis, facilius ramos praevidere posse. Primum vitium est spirituale, superbia, de qua dicitur: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccles. x, 15*), quae regina est omnium malorum, per quam angelii ceciderunt de caelo, quae fit ex contemptu mandatorum Dei. Fit etiam, quando attollitur mens de bonis operibus, **142** et se mellorem estimat alius, dum in eo ipse peior alius est, quo se meliorem putat. Fit etiam per contumaciam superbia, quando despiciunt homines senioribus obedire suis. Ex ipsa vero nascitur omnis inobedientia, et omnis presumptio, et omnis pertinacia, contentiones, haereses, arrogantia. [In loquela clamor, in taciturnitate amaritudo, excelsus et effusus in letitia risus, irrationalis in serenitate tristitia, in responsione rancor, falsitas in sermone. Verba passim sine ulla cordis gravitate erumpentia, audacia ad contumelias irrogandas, ad tolerandas pusillanimitas.] Quae omnia mala vera humilitas famuli Dei perfacile vincere [*Ms.*, curare] poterit. [Humilitas vera est, ut diximus, veritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntarie perficere.]

## CAPUT XXVIII.

*De gula.*

Primum est corporale peccatum gula, id est, intemperans cibi vel potus voluptas, per quam primi parentes humani generis paradisi felicitatem perdidérunt, et in hanc ærumnosam hujus vitae [misericriam] dejecti sunt; ubi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem vivit, per dolorem moritur. Quae tribus modis regnare videtur in homine; id est, dum homo horam canoniam et statutam gulae causa anticipare cupit, aut exquisitiores cibos sibi preparare jubet, quam necessitas corporis, vel suæ qualitas personæ exigat, vel si plus accipiet in edendo vel bibendo propter desiderium intemperantie suæ, quam suæ proficiat saluti. De qua gula nascitur inepta letitia, scurrilitas, levitas, vaniloquium, immunditia corporis, instabilitas mentis, ebrietas, libido: quia ex saturitate ventris libido corporis congeritur, quae per jejunia et abstinentiam, et operis cuiuslibet assiduitatem optime vincitur. [Communis enim est regula omnibus religiosis sanis et infirmis, ut de qualicunque cibo nunquam impleant ventrem.]

## CAPUT XXIX.

*De fornicatione.*

Fornicatio est omnis corporalis immunditia, quae solet fieri ex incontinentia libidinis, et inollitia animæ, quae consentit suæ carni peccare. Nam anima

reclamat. **QUÆCETANUS.** — In codice Vaticano 650 in 1<sup>o</sup> sicc. xi sequentia capita in duos tractatus dividuntur, quorum primus inscribitur. *Dictatus Al-*

**A** domina debet esse, et imperare carni; et caro famula, et obediens dominæ suæ, id est, rationali animæ. Quae fornicatio fit per commissiōnem carnis cum femina qualibet, vel etiam alia quacunque immunditia ad explendum libidinis ardorem. De qua [fornicatione] nascitur cæcitas mentis, inconstantia oculorum vel totius corporis amor immoderatus; sœpe periculum vitae, lascivia, joca, petulantia, et omnis incontinentia; odium mandatorum Dei, mentis enervatio, et injustæ cupiditates; negligentia vite futuræ, et præsentis delectatio [*Ms.*, dilectio]. Quae vincitur per castitatem et continentiam consuetam, et recordationem ignis æterni, et timorem præsentiae sempiterni Dei [nos ubique et opera nostra insipientis]

## CAPUT XXX.

*De avaritia.*

Avaritia est nimia divitiarum acquirendi, habendi, vel tenendi cupiditas, qua pestis inexplebilis est. Sicut hydroicus, qui quanto plus bibit, tanto plus illi sitis accrescit [*Ms.*, addita crescit]: sic avaritia quanto magis habet, tanto plus [habere] desiderat. Et dum modus non est illi in habendo, modus illi non erit in desiderando. Cujus genera [*Ms.*, germina] sunt invidia, furga, latrocinia, homicidia, mendacia, perjuria, rapina, violentia, inquietudo, injusta iudicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblio, obduratio cordis. Quae fit [*Ms.*, quae est] contraria misericordiæ, eleemosynis in pauperes, et toti pietati in miseros. Quae vincitur per timorem Dei, et per fraternalm charitatem, et per opera misericordiæ, et per eleemosynas in pauperes, et per spem futuræ beatitudinis, dum falsæ hujus sæculi divitiae futuræ beatitudinis veris divitiis vincuntur.

## 143 CAPUT XXXI.

*De ira.*

Ira una est de octo vitiis principalibus, quae si ratione non regitur, in furem vertitur: ita ut homo sui animi impotens erit [*Ms.*, fiat], faciens quæ non convenit. Hæc enim si cordi insidit [*Ms.*, iusidet], omnem eximit ab eo providentiam facti, nec iudicium rectæ directionis [*Ms.*, discretionis] inquirere, nec honestæ contemplationis virtutem, nec maturitatem consilii habere poterit, sed omnia per præcipitum quoddam facere videtur. De qua, id est ira, pullulat tumor mentis, rixæ et contumeliaz, clamor, indignatio, præsumptio, blasphemiaz, sanguinis effusio, homicidia, ulciscendi cupiditas, injuriarum memoria. Quae vincitur per patientiam et longanimitatem, et per rationem intellectualem, quam Deus, inserit mentibus humanis, et per recordationem [injuriarum et passionum, quas pro nobis injuste pertrulit Christus; et per memoriam] Orationis Dominicæ, ubi Deo dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth. vi, 12*).

*cuini de octo vitiis principalibus; alter De quatuor virtutibus.*

## CAPUT XXXII.

*De acedia.*

Acedia est pestis, quæ Deo famulantibus multum nocere probatur, dum otiosus homo torpescit in desideriis carnalibus, nec in opere gaudet spirituali, nec in desiderio [Ms., in salute] animæ suæ lætatur, nec in adjutorio fraterni laboris hilarescit : sed tantum concupiscit et desiderat, et otiosa mens per omnia discurrit. Hæc est quæ maximem monachos executit de cella in sæculum, et de regulari conversatione ejicit eos in abrupta vitiorum. Quæ cum misericordiam obsidet mentem, multis eam inficit miseriis, quæ multa docet mala. De qua nascitur somnolentia, pigritia operis boni, instabilitas loci, pervagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tedium cordis, murmuratio et inaniloquia [Al., magniloquia]. Quæ vincitur per studium lectionis, per assiduitatem operis boni, per desiderium futuræ præmiorum beatitudinis, per confessionem tentationis, quam in mente habet, per stabilitatem loci et propositi sui, atque exercitum cuiuslibet artis et laboris, vel orationum et vigiliarum instantiarum, ut nunquam otiosus inveniatur servus Dei. Difficilius invenit diabolus tentandi locum in homine quem in opere invenit bono, quam in eo quem otiosum reperit et nihil boni agentem.

## CAPUT XXXIII.

*De tristitia.*

Tristitiae duo sunt genera : unum salutiferum, alterum pestiferum. Tristitia salutaris est, quando de peccatis suis animus contristatur peccatoris, et ita contristatur, ut confessionem et pœnitentiam agere querat, et converti se ad Deum desideret. Alia est tristitia hujus sæculi, quæ mortem operatur animæ, quæ nihil in bono opere proficeret valet, quæ animum perturbat, et sœpe in desperationem mittit, ut futurorum spem abstollat [Ms., auferat] bonorum. Ex ipsa nascitur malitia, rancor, animi pusillanimitas, amaritudo, desperatio. Sæpe etiam et præsentis vitae nulla delectatio. Quæ vincitur per lætitiam spirituali, et spem futurorum, et consolationem Scripturarum, et fraternum [in spirituali jucunditate] colloquium.

## CAPUT XXXIV.

*De cenodoxia, id est, vana gloria.*

Vana gloria est, dum homo appetit in bonis suis laudari, et non dat Deo honorem [sed sibi : nec] divinæ imputat gratiæ quidquid boni facit, sed[quasi] ex se habeat vel sæcularis dignitatem honoris, vel spiritualis decorum sapientiæ, dum homo nihil absque Dei gratia vel adjutorio habere possit boni, sicut ipsa Veritas in Evangelio discipulis suis ait : *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5). Quapropter qui gloriantur, in Domino glorietur : quia nihil sine Deo donante 144 boni habere poterit. Ex eius vitii radice multi malitiae germinare videntur ramuscui : inde jactantia, arrogantia, indignatio,

**A** discordia, inanis gloriæ cupido, et hypocrisis, id est, simulatio boni operis, cum de se homo vult laudari, quod se agere nescit. Imo pene omnia quæ facit, eo tenore agit, ut ab hominibus laudetur, de quibus ipse Dominus ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (Matth. vi, 2). [<sup>a</sup> Ista pestis, id est, vana gloria, multiformis avaritia est, et undique bellatori contra vitia pugnant, et ex omni parte victori etiam vitiorum occurrit. Nam et in habitu et in forma corporis, in incessu, in voce, et in ope- re, in vigiliis, in jejunis, in oratione, in remotione, in lectione, in scientia, in taciturnitate, in obediencia, in humilitate, in patientiæ longanimitate militem Christi vulnerare conatur, et velut perniciosissimus scopulus tumentibus undis obtectus improvisum ac miserabile naufragium prospere navigantibus, dum non cavitur, importat. Nam cui sub specie pulchritudinis cenodoxiam non potuit generare, pro squalida et inulta ac viliori conatur inserere ; quem non potuit per honorem dejicere, humilitate supplantat ; quem scientiæ et elocutionis ornatum nequit extollere, gravitate taciturnitatis elidit. Si jejunat palam, gloria vanitatis pulsatur ; si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis intus in seipso homo subtunditur. Ne vanitatem gloriæ contagione maculetur, orationes prolixius sub fratrum vitat celebrare conspectu et quod eas latenter exerceat, non effugit aculeos vanitatis. Alium quod patientissimus sit operum ac laboris, alium quod ad obediendum promptissimus, alium quod humilitate ceteros præcellit, conatur extollere. Alius scientiæ, aliis lectionis studio, aliis vigiliarum prolixitate tentatur. Non solum ergo sæcularibus operibus, sed etiam suis virtutibus hominem hic in omnibus nititur sauciare]. Cujus morbi medicina est recordatio divinæ bonitatis, per quam omnia bona nobis collata sunt, quæ habere videmur ; etiam et perpetua ipsius Dei charitas, in cuius laude omnia agere debemus, quidquid boni in hoc sæculo operemur, et magis desiderare a Deo laudari in die retributio- nis æternæ, quam ab homine quolibet in hujus transitoriae vitae conversatione. [Ita etiam hanc bestiam poterimus evadere, ut cogitantes illum Davidicum versum : *Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent* (Psal. lli, 6). Primitus nihil inanis gloria gratia faciamus, deinde que bono initio fecerimus, observatione simili custodiamus. Ne omnis laborum nostrorum fructus post irrepons vanitatem gloriæ moribus evacuet. Quidquid etiam in conversatione fratrum minime communis usus recipit, exsecremus omnino studio, et veluti jactantiæ deditum declinemus, et ea quæ nos possunt inter ceteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus.]

Hi sunt octo totius impietatis duces cum exercitiis suis, et fortissimi contra humanum genus diabolice fraudis bellatores. [Qui ergo unum vitium de istis habens sine confessione et pœnitentia moritur,

<sup>a</sup> Quæ uncinis inclusa sunt, in solo cod. ms. S. Jacobi habentur.

**æterna poena damnatur.** Unde dicit Joannes in Epistola sua : *Est peccatum ad mortem, non pro illo, dico, ut quis roget (Joan. v, 15).* Isti vero bellatores] Deo auxiliante facilissime vincuntur a bellatoribus Christi per virtutes sanctas. Prima superbia per humilitatem, gula per abstinentiam, fornicatio per castitatem, avaritia per abstinentiam [Ms. S. Jac., largitatem et contemptum mundi], ira per patientiam, acedia per instantiam boni operis, tristitia mala per letitiam spiritualem, vana gloria per charitatem Dei [Al., per sapientiam] [vincitur]. Igitur ex his Christianæ religionis duxoribus, quos opposuimus diabolice impietatis bellatoribus, quatuor præsunt duces glorioissimi, [quorum nomina hæc sunt] : prudentia, justitia, fortitudo, temperantia.

## CAPUT XXXV.

*De virtutibus quatuor.*

Primo sciendum est quid sit virtus. Virtus est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus divinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum. Cujus partes sunt, ut diximus, quatuor principales : prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Prudentia est rerum divinarum humarumque, prout homini datum est, scientia; in qua intelligendum est, quid cavendum sit homini, vel quid faciendum: et hoc est, quod in Psalmo legitur : **145** *Diverte a malo, et fac bonum (Psal. xxxiii, 15).* Justitia est animi nobilitas, unicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac divinitatis cultus, et humanitatis jura, et justa iudicia, et æquitas totius vitæ conservatur. Fortitudo est magna animi patientia et longanimitas, et perseverantia in bonis operibus, et Victoria contra omnium [Ms., omnia] vitiorum genera. Temperantia est totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat; sed omnes vita hujus varietates considerata temperet diligentia. Hæc vero in fide et charitate observantibus æterne gloriæ ab ipsa Veritate Christo Jesu præmia pollicentur. Nulla melior est sapientia, quam ea qua Deus secundum modulum humanæ mentis intelligitur et timetur [Ms., et amatur], et futurum ejus creditur judicium. Nam quid est justus quam Deum diligere ejusque mandata custodire, per quem, dum non fuimus, creati sumus [dum perdimi fuimus, recreati sumus], et a servitute diabolica liberati, qui nobis omnia bona quæ habemus, perdonavit? Et quid hac fortitudine melius est quam diabolum vincere, et ejus omnes superare suggestiones et omnia adversa mundi pro Dei nomine fortiter tolerare? Nobilis virtus est valde temperantia, per quam omnis honor vite hujus inter homines constat; ut omnia in quacunque causa homo temperanter cogitet, loquatur, et agat cum consilio salutis suæ. Hæc enim sunt levia et suavia Deum diligenti, qui ait : *Discite a me, quia mitis sum et humiliis corde : et invenietis quietem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*

\* In ms. S. Galli legitur: *Superscriptio.* In aliis deest; nec caput numeratur.

**A** (*Matth. xi, 29*). Nonne melius est et beatius Deum diligere, qui est æterna pulchritudo, æterna fragranzia, æterna jucunditas, æterna dulcedo, æterna suavitatis, perpetuus honor, indeficiens felicitas; quam hujus sæculi amare *ranitatem et insanias falsas* (*Psal. xxxix, 5*), species pulchras [*Al.*, pulchritudinem supervacuam], dulces sapores, sonos suaves, odores fragrantes, tactus jucundos, honores et felicitates sæculi transitorias, quæ omnia velut volatilis umbra recedunt et transeunt, et decipiunt amantem se, et in æternam mittunt eum miseriam? Qui vero Deum et Dominum fideliter amat, et indesinenter colit, et ejus mandata perseveranter implet, æternam cum angelis Dei gloriam perpetualiter possidere dignus efficietur.

## B

## CAPUT XXXVI.

*a Peroratio operis.*

Hæc tibi, dulcissime fili [Wido], brevi sermone, sicut petisti, dictavi; ut habcas ea quotidie quasi manualem in conspectu tuo libellum, et in quo possis te ipsum considerare, quid cavere, vel quid agere debas, atque per singulas vitæ hujus prosperitates vel adversitates exhortari, quomodo ad culmen perfectionis ascendere debebas. Nec te laici habitus vel conversationis sæcularis terreat qualitas, quasi in eo habitu vitæ coelestis januas intrare non valeas. Igitur sicut omnibus æqualiter regni Dei prædicta est beatitudo, ita omni sexui, ætati, et personæ æquali secundum meritorum dignitatem regni Dei patet introitus. Ubi non est distinctio, quis esset in sæculo laicus vel clericus, dives vel pauper, junior vel senior, servus vel dominus: sed unusquisque secundum meritum boni operis perpetua coronabitur gloria. Amen.

**C** **b** Salomon dixit : « Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos : et lingua eucharis in bono homine abundabit. Multi pacifici sint tibi, et consiliarii tibi sint unus de mille. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et non facile credas illi. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Est amicus, qui egreditur ad amicitiam [Vulg., qui convertitur ad imicitiam..]. Est autem amicus socius mensæ, et non permanet in die necessitatis. Amicus si permanserit fixus, erit tibi coequalis, et in domesticis tuis attende [Vulg., fiducialiter ager...]. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fidi nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metruunt Dominum, inveniunt illum. Qui timet Dominum, æque habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam: et quasi is, qui arat et seminat, accede ad illam, et sustine bonos fructus illius; in opere enim ipsis exiguum laborabis. »

\* Hæc desunt in codd. mss. Addita sunt a Quercetano ex tom. VI Antiq. Lect. Canisii.